

NUMMI NUPTIALES

MAXIMILIANI, FERDINANDI FI-

lij Boëmorum Regis: & Mariæ Caroli V. filiæ: Cusi

Anno Christi. 1548.



U O tempore Philippus Hispaniarum Princeps, gratulatum legationem ad patrem Cæsarem de partis aliquot victorijs, miserat, statutum fuerat, ut Maximilianus in Hispaniam: Philippus in Belgium proficisceretur. Præmissus Albanus in Hispaniam, quæ profectioni forent Philippi necessaria comparat: Maximilianus Genuam per Mantuam contendit: ut ibi Cæsareas triremes conscenderet: cui Princeps Philippus gratulatum obviam mittit Barcinonem usque, citatis equis Petrum

Cordubensem. Maria verò Diegum Cordubensem. Felici vento, navigationeque usus Barcinonem applicuit, indeque paulò post Pintiam Carpetanorum versus iter cæpit, ubi multi fiebant ad nuptias apparatus. Princeps Philippus, Admirante Celtiberiæ, & Albano, multisque aliis principibus comitantibus circiter viginti, & quatuor millia passuum citatis equis, ad urbem usque Olivaresam obviam properat: Pintiæ die postero magna cum pompa nuptiæ celebrantur: confirmantur contractæ in oppido